

CARMEN SAECVLARE
PRO INCOLVMITATE IMPERI
Strophe Sapphica

Phoebe silvārumque potēns Diāna,
Lūcidum caelī decus, ō colendī
Semper et cultī, date quae precāmur
Tempore sacrō,

Quō Sibyllīnī monuēre versūs
Virginēs lēctās puerōsque castōs
Dīs, quibus septem placuēre collēs,
Dīcere carmen.

Alme Sōl, currū nitidō diem quī
Prōmis et cēlās, aliusque et īdem
Nāsceris, possīs nihil urbe Rōmā
Vīsere māius.

Rīte mātūrōs aperīre partūs
Lēnis, Īlithyīa, tuēre mātṛēs ;
Sīve tū Lūcīna probās vocārī,
Seu Genitālis :

Dīva, prōdūcās subolem, patrumque
Prosperēs dēcrēta super iugandīs
Fēminīs, prōlisque novae ferācī
Lēge marītā,

Certus ūndēnōs deciēns per annōs
Orbis ut cantūs referatque lūdōs,
Ter diē clārō totiēnsque grātā
Nocte frequentēs.

Vōsque vērācēs cecinisse Parcae,
Quod semel dictum est, stabilisque rērum
Terminus servet : bona iam perāctīs
Iungite fāta.

Fertilis frūgum pecorisque Tellūs
Spīceā dōnet Cererem corōnā :
Nūtriant fētūs et aquae salūbrēs
Et Iovis aerae.

Conditō mītis placidusque tēlō
Supplicēs audī puerōs, Apollō ;
Sīderum rēgīna bicornis, audī,
Lūna, puellās :

Rōma sī vestrum est opus, Īliaeque
Lītus Etrūscum tenuēre turmae,
Iussa pars mūtāre Larēs et urbem
Sōspite cursū,

Cū per ardentem sine fraude Trōiam
Custus Ænēās patriae superstes
Līberum mūnīvit iter, datūrus
Plūra relictīs :

Dī, probōs mōrēs docilī iuventae,
Dī, senectūtī placidae quiētem,
Rōmulae gentī date remque prōlem-
Que et decus omne.

Quīque vōs būbus venerātur albīs,
Clārus Anchīsae Venerisque sanguis
Imperet, bellante prior, iacentem
Lēnis in hostem.

Iam marī terrāque manūs potentēs
Mēdus Albānāsque timet secūrēs :
Iam Scythae respōnsa petunt, superbī
Nūper, et Indī.

Iam Fidēs, et Pāx, et Honōs, Pudorque
Prīscus, et neglēcta redīre Virtūs
Audet ; appāretque beāta plēnō
Cōpia cornū.

Augur et fulgente decōrus arcū
Phoebus, acceptusque novem Camēnīs,
Quī salūtārī levat arte fessōs
Corporis artūs,

Sī Palātīnās videt aequus ārās :
Remque Rōmānam, Latiumque fēlix,
Alterum in lūstrum, meliusque semper,
Prōroget aevum.

Quaeque Aventīnum tenet Algidumque,
Quīndecim Dīāna precēs virōrum
Cūret, et vōtīs puerōrum amīcās
Applicet aurēs.

Haec Iovem sentīre, deōsque cūctōs,
Spem bonam certamque domum reportō,
Doctus et Phoebī chorus et Dīānae
Dīcere laudēs.